



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. V. An, & quo sensu actus Fidei divinæ certior sit assensu Evidente
naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CONTROVERSIA IV.

Qualis Certitudo sit de ratione Fidei.

267. Notandum 1. Certitudinem non solum tribui actui evidenti, quam Theologi post Durandum vocant *Certitudinem Evidentiam*, sed etiam actui Fidei obscuræ, quam vocant *Certitudinem Inevidentiam*.

268. Notand. 2. Omnem actum Naturalem obscurum, vocari incertum in eo genere in quo genere est obscurus; v. g. iudicium quo iudico, Ciceronem fuisse Romæ, est iudicium moraliter evidens, & ideo etiam moraliter certum: sed quia physicè est obscurum, est etiam physicè & simpliciter incertum. Ratio est, quia posset simpliciter esse iudicium falsum: atqui actus capax falsitatis, non dicitur propriè & philosophicè certus, sed impropriè & secundum quid, nempe certus certitudine adhasivâ, quando habet annexam negationem formidinis, ut notant Oviedo & Izquierdo. Sic etiam Certitudo Juridica, quæ fundatur in depositione duorum Testium omni exceptione majorum, non est Certitudo philosophicè sumpta.

269. Notandum 3. Cum quæstio hæc, quid sit Certitudo in genere, sit quæstio de vocabulo, & Theologi vocem illam extenderint ad actum supernaturalem fidei, cuius supernaturalitatem non possumus reflexè experimentaliter cognoscere, sicut reflexè experimentaliter cognoscimus Certitudinem Evidentiam, consequens esse videtur, ad Certitudinem non plus requirendum esse, quam prædicatum convertibile cum actu Certo in genere, prout complectitur actum fidei & actum evidentem tanquam membra dividenda.

270. Notandum 4. Cum Oviedo & Ripalda alijsque RR. actus intellectuales necessariò veros necessitate antecedente, esse duplicis generis: alij enim sunt præcisè ideo necessariò veri, quia objectum non potest se aliter habere, absque eo, quòd actus habeat intrinsecam connexionem cum veritate objecti, ita quidem, ut si per impossibile objectum se aliter haberet, non propterea cessaret causa productiva illius actus, adeoque qui talem actum reflexè & intuitivè cognosceret, non posset inde evidenter inferre veritatem & necessitatem objecti. huiusmodi sunt actus probabiles circa objecta necessaria, v. g. argumenta quibus Philosophi probant, Materiam primam realiter distingui à Quantitate &c. Alij econtra sunt necessariò veri ex intrinseco prædicato, propter quod petunt esse conformes objecto, & non possunt existere nisi sint conformes: cuiusmodi sunt omnes actus evidentes, quorum existentia determinatur ab objecto, item omnes actus intellectuales supernaturales. His positis

271. DICO 1. Certitudinem in genere, prout abstrahit à Certitudine Evidentiæ & Inevidentiæ, constitui sufficienter & adæquatè in in-

trinseca connexionem necessaria cum statu objecti, quem ad sui veritatem requirit. Ita à Suarez d. 6. s. 5. n. 6. Oviedo *Contr. 7. de animæ* Ripalda hic, & Hurtadus *disp. 25. s. 1. & disp. 26. s. 1.* Izquierdo d. 5. q. 1. & ante hos Vasquez 1. 1. d. 1. n. 33. Probat. Per hoc prædicatum sufficienter distinguitur omnis actus, qui ab omnibus dicitur certus, ab omni actu qui ab omnibus dicitur incertus. Convenit enim hoc prædicatum cum actui evidenti, & omni actui supernaturali, & soli dicuntur esse actus certi: & præter hæc nulli alteri actui convenit, quia nullus actus præter probabilis, & vndique naturalis, habet huiusmodi prædicatum.

272. Dices. Certitudo suscipit magis & minus, est enim unus actus altero certior: ergo illa intrinseca connexio non suscipit magis & minus: ergo non est Certitudo. R. Certitudo appretiativam & adhasivam suscipere magis & minus, quo sensu sicut vna Conclusio dicitur certior, ita etiam vna dicitur alia verior. Hoc sensu dicitur fides esse certissima, quia præter actibus certis illi adharemus, ut dicitur *Contr. seq.*

273. DICO 2. Omnis actus fidei habet intrinsecam radicalem repugnantiam cum formidine oppositi. Ita omnes. Probat. Intrinseca repugnantia radicalis cum formidine, nihil aliud, quam quòd entitas actus sit talis, ut ex cognita quoad sua prædicata essentialia, determinaret intellectum ad excludendam omnem formidinem de falsitate actus: sed omnis actus supernaturalis hoc habet, cognosceretur enim in actu supernaturali exigentia conformitas cum objecto: ergo hoc ipso diceret intellectus, objectum non posse se aliter habere, & hoc quidem evidenter. Ergo &c.

Ex dictis colliges, quo sensu verum sit, quod docent Recentiores, posse assensum ratiocinandi articulum falsum, esse æqualis certitudinis cum actu fidei circa articulum verum; hoc enim docent esse intelligendum de Certitudine Certitudinis seu obligationis credendi, non de Certitudine Indefectibilitatis à vero.

CONTROVERSIA V.

An, & quo sensu Actus Fidei Dicitur certior sit Assensu Evidentiæ Naturali.

274. Durandus negavit simpliciter, vultum actum fidei esse certum, quia existimavit Certitudinem & Evidentiam esse Terminos convertibiles: sed est error in modo loquendi, contra modum loquendi Scripturæ, tribuentis ambiguitates Fidei Certitudinem. Hoc ergo in præcedente comparanda venit Certitudo Fidei cum certitudine actuum naturalium. in qua comparatione

Prima Sententia est, Fidem esse minus certam Scientiâ naturali. Ita Hugo de S. Victore, Bonaventura, Alensis.

Secunda Sententia est S. Thomæ & communis aliorum, affirmantium Certitudinem Fidei esse majorem quacunque certitudine naturali.

DICO 1. Actus fidei est certior certitudine essentiali & adæquatè intrinsecâ, quæ consistit adæquatè in connexionione intrinsecâ necessaria cum objecto, quacunque Scientiâ Naturali, habente evidentiam physicam aut moralem. Probatur. Nam omnes harum Scientiarum actus vel non habent indispensabilem connexionem cum objecto, adeoque reflexè cogniti non repugnant cum formidine intellectuali; vel si habent connexionem necessariam & indispensabilem, illa non provenit ex intrinsecò prædicato & perfectione actûs, sed ex necessitate objecti, adeoque habent illam per denominationem extrinsecam.

275. DICO 2. Etiam Certitudo inhæsitiva seu affectiva est major in actu fidei, quàm Certitudo Scientiæ naturalis, habentis tantum evidentiam physicam. Probatur Conclusio 1. Auctoritate Scripturæ. 2. Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* tum SS. PP. qui videri possunt apud Card. de Lugo n. 34.

Probatur 2. Ratione. Actus fidei ita assentitur objecto revelato & motivis, ut paratus sit illis assentiri potius quàm veritatibus naturalibus physicis, ita ut si ab alterutris recedendum esset, potius ab his quàm ab illis recederet, & hoc quidem prudenter, exigente scilicet summâ Dei auctoritate in loquendo, ad quam spectat, posse nos obligare ad credendum ipsi super omnia, etiam quando obscura loquitur, & per ministros suos. Sicut enim Deus ob infinitam Bonitatem est amandus super omnia, ita ob infinitam auctoritatem & potestatem in requirenda & exigenda fide adhibenda locutioni suæ, prudenter innegabili, est dignus, cui super omnia præbeatur assensus.

DICES. Rusticus non potest paratus esse adherere locutioni parochi, in casu quo parochi veritates evidentibus rationibus enervaretur. ergo fides rusticorum non est hoc sensu certior illis evidentijs physicis. Sed contra. Hæc replica salutat extra chorum. Jam suprà dixi, motivum Rusticorum non esse præcisè auctoritatem parochi, sed cum addito, ut non enervatam; ergo repugnat ut scientia enervans auctoritatem parochi concurrat cum motivo adæquato rustici. Contra Conclusionem

276. Objicitur 1. Ille actus est certior altero, qui magis repugnat cum formidine oppositi: atqui actus evidens evidentiam physicâ, imò & morali, magis repugnat cum formidine oppositi, quàm actus fidei: Ergo. Minor probatur. Nemo enim impellitur ad formidandum, an cras sit oriturus sol, aut an Cicero fuerit Romæ, sicut multi impelluntur ad formidandum circa articulos fidei. 2. cum Card. de Lugo, Distinguendo

majorem. Nisi illa repugnantia compensetur per alium excessum in alio prædicato Certitudinis, conceditur, si compensetur, negatur. Repugnantia illa actûs evidenteris cum potentia proximâ formidandi, compensatur per firmiorem adhesionem appetitiivam, quatenus ita comparatus est credens, ut si intellectui esset alterutrum objectum negandum, potius negaret objectum subsistans evidentiam physicâ, quàm objectum Fidei.

277. 2. & expeditius cum S. Thomæ, quam responsionem re ipsâ approbat Valentia & Lugo n. 44. distinguendo iterum majorem. Talis actus est certior secundum se, negatur major, quoad nos, transeat. & eodem modo distinguitur consequens: ergo actus Scientiæ est certior, quoad nos, transeat: secundum se, negatur consequentia. Rationem optimam, ex mente S. Thomæ, reddit Lugo. Cum enim, inquit, Certitudo includat connexionem necessariam cognitionis cum veritate, hæc necessitas clariùs percipitur à nobis in actu scientifico, quàm in assensu fidei, quia melius percipimus evidentiam & claritatem actûs, ex qua oritur connexio necessaria Scientiæ cum Veritate, quàm percipimus Supernaturalitatem actûs fidei, ex qua oritur ipsius connexio cum Veritate.

278. Objicitur 2. Potest Philosophus aliquis æquè firmiter adherere suis sententijs & demonstrationibus, quàm aliquis Christianus suis articulis fidei: ergo assensus fidei non est firmior quocunque assensu naturali. 2. Distinguendo antecedens. Si Christianus assentitur objecto juxta merita motivorum, & contra philosophum non adhareat obstinatè ultra merita suorum motivorum, nego antecedens, secus transeat, & eodem modo conceditur & negatur consequentia.

279. Objic. 3. Si fides nostra esset appetitiivè firmior quacunque Scientiâ naturali, tunc fieri posset, ut quis simul & semel paratus esset ad negandum & affirmandum idem objectum; consequens est absurdum. Sequela probatur. Ponamus enim, me eandem veritatem v.g. Omnipotentiam Dei, & scire, & credere: hoc casu deberem ita credere omnipotentiam, ut paratus simul essem ad eandem negandam potius, quàm non credendam: ergo paratus essem ad eandem simul credendam & negandam.

Respondet Card. de Lugo, negando sequelam. ad probationem responderet, Fidem dici firmiorem omni Scientiâ naturali, comparando assensum fidei cum assensu Scientiæ secundum ordinem ad sua objecta formalia, propter quæ assentiuntur; adeoque in illo casu talis esset paratus potius adherere objecto formali fidei, quàm scientiæ. In eundem sensum

Responderi potest 2. Assensum fidei comparandum esse cum assensu naturali secundum rationem adherendi suo objecto, adeoque secundum illum gradum adhesionis, quo similiter adhereret objecto distincto ab objecto revelato: & hoc modo assensus Fidei est firmior, quia intelle-

Ccc

ctus

ctus paratus est potius dissentire cuicunque objecto distincto ab omnipotentia cum tanta evidentia scito, quam non credere omnipotentiam; & hoc sufficit. per accidens enim est, & impertinens ad æstimandam firmitatem, quod in hoc objecto Scientia & Fides concurrant; hoc enim non augeret firmitatem assensus Scientifici: ergo ut fides dicatur firmior hoc ipso assensu scientifico, verante circa objectum fidei, satis est, quod sit firmior quocunque alio actu Scientifico, habente eandem firmitatem ac habet iste: sicut qui dicitur vincere Petrum fortitudine, recte dicitur etiam vincere Paulum æqualis fortitudinis cum Petro, etiamsi hic & nunc Paulum ideo non possit vincere, quia est illi alligatus, ita ut non possit prosternere Paulum, nisi simul cadat.

Responderi potest 3. Fidem esse appetitivè certiorē illis duntaxat actibus, quorum veritas fingi potest repugnare cum veritate fidei: hoc autem fieri non potest, quando versantur circa idem objectum.

280. Objic. 4. Judicium evidens credibilitatis, præcedens fidem, debet esse æquè firmum ac ipse assensus fidei subsequens; nec potest homo velle potius negare credibilitatem, quam objectum Fidei, cum assensus fidei essentialiter præsupponat illud Judicium, & in illo se fundet: atqui Judicium credibilitatis non procedit ab habitu fidei, nec etiam ab habitu piæ affectionis: ergo potest assignari aliquod Judicium evidens æquè firmum, ac est assensus fidei.

281. Negando suppositum, quia illud Judicium habet evidentiam metaphysicam. Deinde respondetur, Conclusionem solum procedere de illis actibus, qui ad fidem non præsupponuntur, nec ad eam pertinent reductivè.

281. DICO 3. Non est necesse, ut Fides sit firmior actu scientifico habente evidentiam metaphysicam perfectam, hoc est, quæ in nullo casu reali admittat formidinem, nec possit à Voluntate cohiberi assensus. Ita Card. de Lugo; & si qui contrarium tenent, non videntur evidentiam metaphysicam in hoc rigore accepisse. Reperitur autem hæc Evidentia imprimis in Visione beatifica; deinde in primis principiis, & si quæ Conclusio ex huiusmodi legitime deducitur. Probatur Conclusio. Non sumus obligati nec obligabiles ad maiorem firmitatem, sive ad maiorem appetitivam adhesionem, & prælationem, quam respectu illorum objectorum, quorum evidentia quoad gradum evidentiam potest reperiri in objecto repugnante cum veritate fidei: v. g. licet physicè sit evidens, accidentia semper esse in subiecto: quia tamen hæc evidentia non ostendit impossibilitatem oppositi, quin possemus de hoc formidare, si Deus revelaret, se in hac exigentia posse dispensare, ideo si hæc evidentia repugnat

cum articulo fidei, debemus huic præ illa adherere, & consequenter præ omni evidentia eodem gradus: atqui nulla evidentia metaphysica potest apparere repugnans cum articulo fidei, nisi ipso quod sit talis ac tanta, ut sit impossibile credere assensum (alioquin obligaremur ad iudicandum contradictoria) ergo non obligamur ad prælationem.

282. DICES cum Ripalda. Maiorem firmitatem Fidei supra evidentiam metaphysicam consistere in prælatione conditionali sed hypothetici impossibili: nempe: si possem formidare de veritate objecti metaphysicè evidentia, præter de illa quam de veritate fidei formidarem.

Sed contra: quia hæc hypothesis non repugnat nostram Conclusionem, sed destruit eam: fingitur enim, objectum non esse evidens metaphysicè, sed tantum physicè (nisi minus credere, in hypothesis poni formaliter contraria, & sic est inepta & inutilis ad quidvis aptandum) adeoque sic voluntas non est parata præter objectum Fidei evidentiam metaphysicè quælibet, sed solum physicæ, quod vltro fatemur. Ergo hypothesis nobis adverteretur, sic formidanda esset. Si objectum metaphysicè evidens repareret mihi contrarium objecto fidei, præter illud quantumvis metaphysicè evidens, potius negare, quam objectum Fidei. Verum hæc voluntas esset chymatica, ut bene dixit Lugo. Non enim Voluntas dissentendi etiam tunc, quando est impossibile dissentire: elletque admodum imprudens. Si enim evidentia metaphysica repugnaret cum objecto quod putamus esse revelatum, & hæc ipsa repugnantia esset metaphysicè evidens, necessitaremur ad iudicandum, Deum hoc non revelasse: necessitatur enim ad dissentendum vni ex contradictorijs, si alteri assentimur. Quæque huiusmodi appetitatio seu prælatio esset inhumilis amor, quo quis ex amore vellet credere Deum si hoc illi placeret, quod ex terminis est ineptum.

Objici solet S. Augustinus l. 7. Confess. 10. dicens: Facilius dubitarem vivere me, quam esse Veritatem quam audiui. 2. Ex ipso loquendi modo colligi, S. Augustinum loqui non de cognitione experimentalis, quæ anima experiri debet existere, sed de vita dubitabili, nempe de transmigratione animæ cum corpore, de qua in aliquo casu dubitari posset, uti dubitavit qui dixit. *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio.* alioquin esset manifestum loquendi ineptus.

Objicit Suarez, defacto nos dissentire principio metaphysicè evidenti, pugnantem cum illa. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Ad hoc responsum est libro 1. quæ non est opus repetere.

